

Indulgentiæ anno 1281. datæ.

Raymondus Dei Gratia Sanctæ Aquilegiensis sedis Patriarcha; Gundisfallvus Sanctæ Tholentanæ Ecclesiæ Archiepiscopus; Frater Guido Papiensis Episcopus; Frater Sinibaldus Melphiensis Episcopus; Mathæus Vicensis Episcopus, Franciscus Urbevitanus Episcopus; Bernardus Episcopus Cumanus; Borehardus Lubicensis Episcopus; Petrus Bajocensis Episcopus; Frater Wilhelmus Episcopus Civitatis Castellanzæ; Raymundus Ausonensis & Vitenfis Episcopus; Johannes Gurcensis Episcopus; Petrus Reatinus Episcopus; Frater Johannes Lettoniensis Episcopus, universis Christi fidelibus, præsentem paginam inspecturis, salutem, in eo, qui est omnium salus.

ET si universorum loca sanctorum, propter multiplicia beneficiorum dona, quæ ipsorum interventionibus, nobis à Domino conferuntur, cum devoto mentis affectu, debeant juxta fidem visitari; non indigne illius liminibus specialiter honorificentia debetur devotio, qui à suæ creationis initio, Civis factus celestis patriæ, ut & noster Concivis fieret, ut familiariter, audita nostra desideria divinæ Majestatis conspectibus præsentaret, & ea, cum supplicationis devotæ instantia, promoveret, specialem elegit inter Homines mansionem; hic est ille Archangelus Michael, Princeps cœlestis militia, qui de antiqui hostis superbia mirabiliter triumphavit; hic est ille, cujus Imperio vita nostra in terris à Dæmonum, [insultu] communitur, & hic est ille, qui, dissoluta carnis & animæ unione, Deo fidelium animas repræsentat. Ut igitur nos, qui, licet indigni, spiritualem thesaurum sanctæ matris Ecclesiæ, miserante Domino, dispensamus, possimus tanti Principis patrocinia promereri, devotionem vestram, cum largitione munerum, excitando, ad ipsius alicubi limina visitanda, ne labor vester in Domino sit inanis; Omnibus, vere pœnitentibus, & confessis, qui Ecclesiam in Luneborg, Verdensis Diocesis, in honore ipsius Archangeli dedicatam, in Festivitatibus, & dedicatione ipsius, & per Octavas earundem, in nostri Redemptoris Festivitatibus, B. Mariæ virginis, Omnium Sanctorum, Johannis Baptistæ, Apostolorum omnium, B. Mariæ Magdalenzæ, B. Laurentii, B. Benedicti Abbatis, cujus ibidem viget Observantia regularis, cum devotione, personaliter visitaverint, vel ad reparationem, & ad sustentationem, ipsius Ecclesiæ, ac servitorum ejus, de bonis propriis fuerint elargiti, singuli singulas Quadragenas, & Carenam, de injuncta eis pœna, dummodo Dyocefani Voluntas præcesserit, vel accedat, misericorditer in Domino relaxamus. Datum apud Urbem Veterem, Anno ab Incarnatione Domini M. CC. LXXXI, III. Kal. Septembris Pontificatus Domini Martini Papæ Quarti Anno primo. In cujus rei testimonium præsentem cartam, appensione nostrorum sigillorum, du-ximus roborandam.

XXXI.

OTTONIS KULTZINGI,

Præpositi in Hilgenthal ordinis præmonstratensis

NARRATIO

de

FVNDATIONE ET TRANSLATIONE

MONASTERII SVI IN LVNEBORCH,

Ex MSto.

NOta, quod illud præsens monasterium HILGENDAL primo fundatum fuit per strenuum militem Dominum Lippoldum de Doren in Kerchheldersfen, ad instantiam Religiosi & devoti viri Fratris Euerhardi Canonici Sanctimonis ordinis Præmonstratensis, Bremensis Diocesis, anno Domini M. CCC. XIII. quinto Idus Februarii, temporibus Domini Nicolai Ketelbud Episcopi Verdensis, ac Dominorum Ottonis & Wilhelmi Ducum in Brunsvie & Luneborgh, ubi fere annis tribus duravit. Et dicto fratre Euerhardo vivente fuit idem Monasterium translatum, de & cum consensu prædicti Domini Nicolai, ad locum dictum Zibelingborstfeld intra eandem parochiam, ibique habitaverunt annis fere LXV; & post hæc translati sunt Luneborgh, ut post inferius. Horum temporibus fuerunt Episcopi Dominus Nicolaus prædictus, Johannes de Frisea, Daniel Carmelita, Rodolfus, Gherardus, Hinricus, Johan-

Jobannes de Tzefersvlete, olim Decanus Bremensis. Duces fuerunt *Otto & Wilhelmus* prædicti, fratres Germani; *Magnus* occisus in bello, *Dux Brunsvicensis & Luneburgensis.* *Albertus* jactu machinæ & ictu lapidis, castrum *Riclingbe* obsidens, quod illi de *Mandelslo* possederunt, occisus est, & *Wenceslaus*, intoxicatus veneno, ut dicebatur, interiit, *Duces Saxonia & Luneborgh,* translatores nostri. *Bernhardus* etiam translator noster, & *Hinricus* ejus frater, *Duces in Brunswic & Luneborgh,* filii *Magni* supradicti, nunc temporis Duces; & venerabilis *Otto*, nunc Episcopus *Verdensis,* eorum frater germanus. Scriptum Anno Domini M. CCC. LXXXIX, Martini Episcopi & Confessoris.

In Nomine sanctæ & individuae Trinitatis Amen. Anno nativitatis Domini M. CCC. LXXXIII. XXVI. die mensis Augusti translatum est monasterium *Hilgendael*, situm in parochia *Ghelderssen*, intra oppidum *Luneborgh*, cum eodem nomine *Hilgental*, per venerabilem patrem *Johannem* Episcopum *Verdensem*, & de & cum consensu Nobilis *Rodolphi de Desholte*, Archidiaconi in *Modestorpe* & Capituli *Verdensis*, ac Domini *Hinrici de Leze*, Rectoris Ecclesiæ *Sancti Johannis* in *Luneborgh*, per promotionem Inclitorum Principum & Dominorum *Wenceslai & Alberti Ducum Saxonia & Luneborgh*, ac *Bernhardi Ducis in Luneborgh & Brunswic*; cum consensu Dominorum *Tiderici Springingut*, *Alberti Hoyken*, *Johannis Langen* Proconsulum, & omnium Consulum & oppidanorum in *Luneborgh*, sub regimine fratris *Otonis Kulezinges*, de *Ullessen* oriundi, quarti Præpositi dicti monasterii, & *Johannis Poterowen* Prioris, cum omnium Fratrum conventualium consensu; ac venerabilium Patrum, Domini *Petri Abbatis Præmonstratensis* & Domini *Adolfi de Reke* prioris Abbatis (*) Præpositi seu *Cappenbergensis*; nec non Domini *Hermannii de Nyenborgh*, Abbatis *Sancti Montis*, tunc visitatoris, consilio & consensu, fidelissime juvante dictum Patrem *Otonem* Præpositum Domino *Johanne Weyghberganc* Præposito in *Lune*, Canonico *Verdensi*, apud Episcopum, Archidiaconum, capitulum, Rectorem ecclesiæ *Sancti Johannis*, Principes, Consulatam & Oppidanos antedictos, omnes literas Fratrum libertatibus necessariis, translationem prædictam continentes, gratuite dictante, ad perpetuam laudem *Sanctæ Trinitatis* & intemeratæ genetricis *DEI Mariæ*, & compatronorum ejus *Andree* Apostoli, *Laurentii* Martyris, *Augustini* Confessoris & *Beatæ Mariæ Magdalena*. Scriptum Anno Domini M. CCC. LXXXIX, Martini Episcopi & Confessoris.

Dominus *Henricus de Bücken* primus Præpositus Monasterii *Hilgental* admonitus fuit per venerabilem Dominum *Hermannum Nyebur* seniore, Præpositum in *Ullessen*, ut transferret Monasterium suum ad curiam Ducis, sitam *Ullessen* ad orientem. Qui per mensem deliberatus, visa pace religiosorum & clericorum, quæ fuerat temporibus inclitorum Principum Dominorum *Otonis & Wilhelmi Ducum Luneburgensium*, renuit illac transferri. Qui etiam desertum locum trans pontem in *Luneborgh*, ubi domus allecum, & alia domus nunc constructæ sunt, per consulatam *Luneburgensem* sibi ad construendum monasterium exhibitam, acceptare non audebat, propter metum expensarum. Nihilominus tamen in extrema voluntate sua inter alia scripsit Domino *Marquardo de Travena* Priori in hæc verba: *Prior carissime, statim post mortem meam pecora distrabantur, lateres nulla ratione coquantur, ædificia vetera conserventur &c.* innuens tempora consideranda futura. Huic defuncto successit idem Prior Dominus *Marquardus*, qui confirmatus per Præpositum *Cappenbergensem*, infra quindenam citabatur cum Conventu per Dominum *Danielem* Episcopum *Verdensem*, ad videndum eis præfici Prælaturam auctoritate ordinaria. Contra quod fuit appellatum ad sedem Apostolicam, quæ tunc erat *Avinione*, & lis fuit contestata, & causa fuit curialis effecta, & fratres de facto denunciabantur per Diocesim *Verdensem*. Cujus causæ labores sufferre non valens dictus Præpositus plurimum infirmatus, Prælaturam legitime resignavit; Et Conventus Dominum *Johannem Aduocati*, quondam de monasterio nostro in *Abbatem Sancti montis* temporibus Domini *Hinrici de Bücken* postulatum & concessum, ipso consensiente repositulaverunt ad Præposituram in *Hilgental*. Idem per Dominum *Præmonstratensem* transpositus, post multos labores & sumptus causæ, Fratre *Alberto Wittemach* in curia Romana eam viriliter defendente, datis *Danieli* Episcopo *Verdensi* sexcentis florenis, compositionem secum iniuit; prout in actibus causæ & literis compositionis apparet. Sed & isdem, cognitis occultis causæ, ne à quolibet Episcopo *Verdensi* talliari possit, locum *Hilgental* mutare disposuit in opidum *Molne Ratzeburgensis* Diocesis in ecclesiam parrochiam, & consensum Principis obtinuit. Sed seniores nostri conventus nolebant consentire in locum illum, eo, quod situs erat nimis artus. Postea habito consilio cum Domino *Hermanno Nyebur* Præposito in *Ebbekeforpe*, cum scitu & consensu Seniorum nostrorum; inter quos & ego Fr. *Otto* licet iuvenis, sed Supprior; adiit Dominum *Hermannum Nyebur* juniorem, tunc Præpositum in *Ullessen*, de translatione cum eo tractaturus; qui plane consensit; sed tempus perficiendi tunc non erat aptum, propter inimicitias notorias, quæ semper erant inter *Danielem* Episcopum *Verdensem* & utrosque Prælatos dictos *Nyebur*. Quo *Daniele* in exilio mortuo infra paucos annos, Præpositus in *Ullessen* prædictus, & post eum Dominus *Johannes*, Præpositus noster in *Hilgental* obierunt. Cui Dominus *Albertus Wittemach* successit in Præpositum concorditer electus; qui confirmatus libenter transtulisset

(*) An forte: Patris Abbatis seu Præpositi *Cappenbergensis*.

lisset monasterium nostrum *Verdam* apud capellam *Sancti Pauli* prope pontem; vel ad *S. Andream*, propter aeris amœnitatem, piscium copiam & victualium habundantiam. Sed Canonici *S. Andree* nolebant cedere, & cives apud *Sanctum Paulum* ideo non admittere, ne constructo monasterio ab una parte, ciuitas *Verden* esset tanquam per castrum circumdata. His scitis recurrebat ad tractatus Domini *Zeghebandi de Thune* cum ecclesia in *Ullessen*, qui consensit ut prius. Sed Dominus *Albertus* mansit timidus, non audens opus aggredi; sicque surrexit guerra Domini *Magni Ducis in Luneborgh* & civitatis *Luneborgh*, quâ stante, visis adversis, locum mutare voluit: visis autem prosperis, noluit. Sic fluctuans remanens suam usque ad ægritudinem; in qua coram Senioribus me præsentate regratiabatur me, quod nunquam contradixissem sibi verbo, nisi in negotio translationis, in quo ipsi carius fuisset *Verden* quam *Ullessen*; & ego opposite adjiciens, quod in nomine Domini instaremus dicto negotio: si esset voluntatis Dei, bene prosperaretur; Secus, si non. Ipse nunc svaderet, nec dissuaderet. Sicque in magna discretione & compos rationis, permanens usq; ad horam mortis fere sine dolore, pluribus fratribus præsentibus orando, & labia movendo obdormivit; ecclesiam etiam sine debitis & parata pecunia, sed cum bona provisione victualium, diversis redditibus comparatis alibi scriptis, relinquens. Post quem Fr. *Otto Kultzing de Vllessen* electus fuit, cui de prædictis & secretissimis negotiis ecclesiæ plus constabat omnibus aliis, qui & singula de negotio translationis cum ambobus Prædecessoribus suis, tanquam *Supprior* vel *Bursarius* contrætabat. Qui videns, statum terræ etiam post mortem Ducis *Magni* indurata guerra deteriorari: cum consilio Domini *Johannis Poterow* tunc Prioris & Seniorum, curiam Domini *Harvici de Salina* Proconsulis in *Luneborgh*, nostræ curiæ vicinam, magnam & latam, pro sexcentis marcis denariorum, infra VII primas hebdomates Prælaturæ suæ, comparavit, salvo jure civitatis, quod *Schot* dicitur; & hoc dedit Consulibus usque ad translationem. Quia curia empta, Dominum *Zeghebandum de Thune* cum scitu Domini *Hinrici* Episcopi *Verden*is, quondam Præpositi in *Lune* adiit, & finem de ecclesia *Vllessen* cum eodem Domino *Zeghebando* invenit. Quem cum Domino *Hinrico* Episcopo intimasset præsentate Priore, & ambo supplicarent humiliter & propter DEum, ut suum dignaretur adhibere consensum, sicut prius eis promississet: recognovit promissum, sed modeste se excusavit per metum conscientiæ suæ; quod non auderet melius beneficium Episcopatus alienare à mensa sua. Cui cum exhiberemus, in locum illius beneficii nos aliud beneficium fundaturos, omnino noluit, sed post multa verba sincerè & seriose dixit: Svadeo vobis, ut laboratis pro translatione in ciuitatem *Luneborgh*; allegans multas convenientias, si illac transferremur, spondens, ad hoc se nos potentissime iuvaturum. Ad cuius adhortationem, licet nobis videretur impossibile, quod Episcopus *Verden*is, capitulum summum, Archidiaconus, Plebanus in *Modestorpe*, nec non novi Duces in *Luneborgh* *Wenzelaus*, *Albirtus* & *Bernhardus*, ac Consules in *Luneborgh* in translationem ad locum *Luneborgh* unanimes & concordés possent fieri seu inclinari, propter capitulum multitudinem; *Otto* tamen Præpositus, de omnipotentia Dei & gratia Spiritus Sancti plene confusus, qui per diversitatem linguarum cunctarum gentes in unitatem fidei congregavit, capitulum generale ordinis primo anno suo obedientiam ibidem facturus, visitavit; coram Domino *Petro* Abbate *Præmonstratensi* & Capitulo generali negotium translationis in alterum oppidorum, *Vllessen* vel *Luneborgh* *Verden*is Diocesis publice proposuit, certis de causis necessarie faciendum, obstupescens omnibus Prælatibus præsentibus de tanto labore. Sed ab eodem Domino *Petro* in Domino adhortatus, commissionem scribi mandavit Domino *Præposito Kappenbergen*si & *Abbati Sancti montis*, ut ipsi inquirerent de veritate causarum, per Præpositum coram eo & Capitulo generali publice propositarum, quæ sibi & dicto Capitulo iusta viderentur: & si ipsi Commissarii dictas causas invenirent veras; quidquid in dicto negotio faciendum esse ordinarent, ratum & gratum haberent. Vbi Dominus *Petrus* coram capitulo generali seriose adjecit: Si ecclesiam *Præmonstratensem* transferre possem *Parisius*, facerem, etiam vobis omnibus invitis. Hoc tamen dixit animo turbato, eò, quod quædam grangia sua per Anglicos talliata fuit ad octingentos matunos tempore Capituli. Et cum Dominus *Otto* in reditu præsentasset commissionem Domino *Adolpho* Præposito *Kappenbergen*si, misit illam Domino *Hermann*o *Abbati Sancti montis*, supplicans sibi, ut visitaret auctoritate paterna ecclesiam *Hilgental*, filiam suam, in capite & in membris; & quod in ipsa visitatione veritatem inquirerent sub stola, de negotio translationis & de allegatis per Præpositum coram Abbate *Præmonstratensi* & Capitulo generali: quæ omnia Dominus *Sancti montis* fideliter faciens, responsa singulorum Fratrum scripta, dicto Domino *Adolpho*, Præposito *Kappenbergen*si, ut debuit, fideliter rescripsit. Qui tamen prudenter effectum negotii tam diu dissimulavit propter mutabilitatem aliquorum fratrum, quibus negotium nunc placuit, nunc displicuit; quousque per se monasterium *Hilgental* visitaret, & inquisitionem innovaret, & profundius veritatem propter negotii magnitudinem scrutaretur. Quia tandem scita, habito consilio cum aliis Prælatibus, vicinis suis, literam remisit Domino *Ottoni*, in qua sibi scripsit, majorem & saniozem partem conventus in negotium translationis consentire; injungens sibi in remissionem omnium peccatorum suorum, ut omnem diligentiam ad hoc apponeret; negotio finem quantotius posset faceret, & de disciplina ordinis servanda sollicitus

citus esset. Quo responso habito, dictus Dominus Otto de bonitate DEI confusus, fidelibus & secretis amicis ecclesie suae secretè secretum illud detexit, petens eorum fidele auxilium & consilium ad præmissa. Inter quos erant primi, principales & fidelissimi, Domini Johannes Weygerganc Præpositus in Lune, Tidericus Springintgud, & Johannes Lange Proconsules in Luneborgh, veri hujus monasterii in locum Luneborgh translatores. Et cum idem Dominus Otto, cum Domino Tiderico Springintgud loqueretur de negotio, respondit; se esse Proconsulem civitatis Luneborgh, nec aliud posse nec velle facere, propter juramentum civitati per eum præstitum, nisi quod sciret pro civitate esse & eidem competere: At tamen nollet Præpositum impedire. Consimilia alii duo prædicti dixerunt. Post hæc Dominus Otto accessit Albertum Ducem, qui inter Prælatos certam ab eo summam pecunie postulaverat, supplicans ei, ut eum de tali talliatione inter Prælatos propter DEum haberet supportatum, & recordaretur fidelium laborum, per eum pro dicto Duce in gwerra Ducis Magni publice & occulte die ac nocte sub periculo corporis sui, ad jussum Proconsulum Luneborghensium factorum; quia licet nominaretur inter Prælatos, non tamen esset in habendo; & quod talis petitio prius à Dominis terræ nunquam esset facta. Ipse nominaretur inter Prælatos, sicut lufingulus inter vectores: sin autem idem Dux vellet eum ad alium habilem locum promovere, ubi posset pacificè & mundè habitare, & sic ditari: exinde ditatus posset pro modulo suo dare, ut alius Prælatus. Sed locus monasterii sui esset, propter fontanæ aquæ carentiam, interclusi aeris factorem, & busonum superbabundantem horribilitatem pro monasterio penitus indispositus, nec propterea posset habere personas valentes & juvenes. Pauperes clerici, de platea ad ordinem recepti & sub disciplina educati, cum ad annos discretionis pervenirent & utiles esse deberent monasterio, nollunt sub disciplina monastica regi, sed potius insolescere & ribaldifare, pœnas ordinis non timentes, nec honorem & famam suam servare curantes, tanquam honoris & status parentibus suis inconstanti. Quod maturæ & honestæ personæ, honoris & bonæ famæ consueti, se, sua, & beneficia ecclesiastica & statum mundanum postponentes, cum mundo propter DEum & vitam æternam invitè facerent; sed Deo iugiter servirent & pro fundatoribus & benefactoribus suis stabiliter orarent. Ad quod Dux Albertus interrogavit Ottonem Præpositum; si sciret alium locum habiliorem pro monasterio. Præpositus respondit, quod sic. Ad quod Dux: Ubi est? Præpositus dixit: In Luneborgh civitate vestra: Dux: est liber à censu civitatis? Præpositus: pars, sed non totus. Dux: In Nomine Domini, & propter eum ego juvabo vos. Sicque ab illa hora IX annis, vel circa, ante translationem præscriptam, nunquam gravavit ecclesiam nostram Hilgental: sed quia discordabat cum Consulibus conjunctim vel divisim, aut cum aliquo civium: secretè misit ad Præpositum Thidericum Hogheberten, magistrum coquina Ducatus Luneborgh, negotii inter Ducem & Præpositum conscium, qui diceret Præposito, quod à proposito suo non desisteret, sed stabilis mente maneret: ipse vellet eum fideliter & indubiè ad translationem in Luneborgh promovere, etiam Consulibus invitis. Hæc & his similia, habita opportunitate colloquii familiaris, placido sermone pluries dixit Præposito, semper adhortans eum, ne accipere opus timeret prædictum. Interim Præpositus, sui non immemor propositi, die noctuque, cum staret in diuinis, aut esset in mensa, vel solatiis: mente semper volvit & revolvit, quomodo præsens negotium ad finem perduceret optatum; nunc Præpositum in Lune, nunc Proconsules vel alios, prodesse valentes, sollicitando, aliquando Ducem & ejus magistrum coquina; multas noctes insomnes sic ducendo, ut vix duabus horis dormiret continuis. Tandem, placente DEo, officiales & Consiliarii Ducis volebant scire, quid Reverendus Præpositus Duci esset, peracto negotio, facturus; ubi concordatum fuit in quadringentis marcis denariorum: sed Dux fideliter deberet instare apud Consulatam pro brevi fine; quod Dux acceptavit. Et Præpositus inivit finem cum Consulibus, Duce tamen nesciente, feria sexta proxima ante Penthecosten, pro libertatibus in literis ipsorum expressis, pro duobus millibus marcis. Ad idem Præpositus Lunensis & Dominus Johannes Langen nomine monasterii fidejusserunt Consulibus, & receperunt fidejussionem à consulibus pro monasterio, de omnibus & singulis fideliter terminandis, sicut erant hinc inde placitata. Quod revera Consules omnino fecerunt successu temporis. Postea Dux Consules extra portam civitatis evocavit, seuerè placitans pro monasterii translatione: statim volens habere reversum, si vellent petitionem ipsius exaudire vel non. Qui in melius Præpositi, licet haberet finem cum eis: ut eo melius finem placitare posset cum Episcopo, Archidiacono & Plebano in Luneborgh, deliberationem duorum mensium acceptarunt. Interim, gratia DEI mediante & bona notitia, quam Præpositus habuit, finem rei laboriosæ & sumptuosæ cum ingentibus curis & sollicitudinibus, cum venerabili Domino Johanne de Tzesterfulet Episcopo Verdensi, sine omni pacto invenit, cui post factum C marcas dedit; & cum confesfu capituli, quibus etiam finito pacto XCI marcas concessit; & cum nobili Radolpho Domicello de Depholte Archidiacono in Modestorpe, cui exceptis clenodiis & speciebus diversis, & cuidam cooperatori LXXX marcas; & Domino Henrico de Leze canonico Verdensi, Plebano in Luneborgh post translationem finito pacto, seu ad jussum Dominorum Johannis Præpositi in Lune, & Johannis Langen Proconsulis in Luneborgh, C florenos, qui constabant LXXX, marcis: Et istorum Notariis Dominorum & Ducum ultra XL marcas denariorum. Literis Dominorum Ducum dictatis per omnia bene, & pro monasterio per dictum Venerabilem

Iem Dominum *Johannem Præpositum Lunensem*, & per ejus clericum scriptis & pressulatis, intellexit *Præpositus de Hilgental*, Ducem *Albertum* esse in *Lune* cum *Proconsulibus de Luneborgh*; qui concite adivit Ducem, supplicans obnixè pro fine negotii, asserens literas necessarias monasterii debite scriptas & pressulatas: quas Dux jusit produci, tradens eas *Præposito Lunensi* in vulgari legendas, qui sic fecit; & placuerunt Duci, & jusit eas sigillari, *Præposito de Hilgental* præsentandas, solutis quadringentis marcis eodem die, quo *Præpositus* acceptavit, teste DEO. Tunc non habens C denarios ad dictam solutionem: dedit tamen DEUS gratiam *Proconsulibus* ibidem præsentibus, ut præteritorum *Præpositi*, pro eis pluries factorum, recordarentur, & concederent mutuò *Præposito* CCCC marcas promptas. Quibus Duci solutis, ignorabat Dux, quod *Præpositus* finem habebat cum *Episcopo*, *Archidiacono*, *Plebano* & cum *Consulibus*. Postremò feria tertia post festum *B. Bartholomæi* Apostoli, quod tunc erat die Dominica, cum tam vehemens pestilentia esset in *Luneborgh*, ita, quod quolibet die circa L homines morerentur, & *Præpositus* solvisset Duci & *Consulibus* solvenda; & quibusdam aliis promotoribus occultè ultra CC & XL marcas, nec esset translatus: perpendens, si contingeret, monasterio non translato mori Ducem *Albertum*, *Episcopum*, *Archidiaconum*, *Plebano* in *Luneborgh*, *Dominos Tidericum Springingud*, *Johannem Langen* *Proconsules*, aut ipsum *Præpositum*; quod totum negotium penitus irrecuperabiliter, pecuniis jam expositis omnino perditis, confusissime interrumperetur: audiensque *Præpositus*, Ducem *Albertum* esse in castro *Winsen*, assumpto *Tiderico Hogheberten* magistro coquinæ, & vino, equitavit *Winsen*: qui à Duce benigne receptus interrogabatur, quid quæreret? *Præpositus* respondit: se habere finem placitorum cum *Episcopo Verdensi* & ejus capitulo, cum *Archidiacono*, *Plebano* & *consulibus* in *Luneborgh*; ut Dux propter DEUM *Præpositum* & *Conventum*, cum Duci placeret, ducere dignaretur in corporalem possessionem. Dux sine deliberatione indilate respondit benignissimè: *Hoc faciam hodie in nomine Domini*. At *Præpositus*, volens Duci complacere, sciens Ducem pestilentiam plurimum formidare, dixit Duci: *Inclite Domine, si propter metum Pestilentie non competeret vobis factum hodie, ut supplicavi, perficere, libenter expectabo*. Dux denuo respondit: *Dixi, & hodie in nomine Domini perficiam*. At *Præpositus*, inclinato capite, licentiam petens à Duce recedendi & disponendi de factis suis, quia non constabat *Priori* & *Conventui* sicut & *Præposito*, quod illo die essent translaturi: Dux noluit eum dimittere jejunum, sed in prandio locavit inter se & Dominum *Bernardum* Ducem, filium Ducis *Magni*; multum familiariter cum *Præposito* de diversis conferendo, consolatorie dicens ei: *Hodie ducam vos in locum, ubi ditabimini & prospere vobis succedet. Servite Domino DEO & orate pro me & dominio meo. Nolo esse Dominus vester, sed fautor gratus: & festinate construere capellam, quia dico vobis, quod nolo sepeliri in vico meretricum*. Hæc verba dixit *Præposito* bis in *Winsen* & semel in *Luneborgh*, peracta translatione, DEO teste. Finito itaque prandio in *Winsen*, misit Dux magistrum coquinæ ad Dominum *Wernerum Groten* Abbatem *S. Michaelis* in *Luneborgh*, & ad Dominum *Johannem Præpositum* in *Lune* & ad *Consulatum* in *Luneborgh*, petens, ut quanto sollempnius possent, equestres occurrerent sibi in montem, qui *Teldbergh* dicitur. Qui hoc proni fecerunt, equitantes sibi obviam fere LX equis in vestibus æstivalibus, sed pauci cum togis, extra portam *Bardowicensem* ad montem prædictum; sub qua porta *Præpositus* cum suo conventu expectantes stabant, & quàm plures circa eos Clerici & Laici, consolantes eos super introitu suo: & per aliam portam, quæ *rufa porta* dicitur, vehebantur reliquiæ Sanctorum, Privilegia, Libri, calices, ornamenta sacerdotalia & ea, quæ ad cultum spectabant, divinum. Insuper & lectisternia fratrum & utensilia domus &c. ita quod pauca remanserunt in loco. Et cum *Præpositus* & conventus de antiquo loco *Hilgental* irent versus *Luneborgh*, non apparuit aliquod vestigium nubis in toto hemisphærio, sed aura erat amœna & clara. Iphis vero stantibus & Ducem expectantibus, aura in pluviam, tonitrua & coruscationes horridas sic mutata fuit, ut omnes, qui Duci obviam exiuerant, siccis vestibus pretiosis induti, redirent lati, sed camifeis madefactis. *Præpositus* vero & Fratres sui sicci remanserunt. Cumque Dux *Albertus* inter primam portam venisset, volebat de caballo descendisse & *Præpositum* manu propria in civitatem, usque ad curiam monasterii, humiliter induxisse. Sed *Praelati* cum *Proconsulibus* & *Præposito* supplicarunt sibi, quia distemperatus erat, ut in caballo maneret, faciens omnes equites se præcedere, ita quod ipse esset omnium ultimus: Sicque *Præpositus* deberet eum immediate, & conventus *Præpositum* suum sequi, quod Duci sic placuit. Et cum hoc modo intrarent, præ superhabundantia pluvie aquæ currebant in plateis, fere ad genua caballi Ducis. Et venerabilis Vir Dominus *Johannes*, de *Lune* *Præpositus*, de ambulatore suo totus madidus descendens, devotè, humiliter & cordialiter *Præposito* & conventu congaudens, *Præpositum* manu & brachio facètè per plateam *Bardowicensem* trans forum, per plateam *Pistorum*, usque ad plateam, per quam de macello itur versus orientem, ad curiam monasterii *Hilgental* ducens: Ubi Dux *Albertus* de caballo suo prope domum *Nicolai Scemaker* *Consulis* descendit, *Præpositum* manu tenuit, & in curiam monasterii cum devotione & lacrimis introduxit, alta & intelligibili voce, multis *Praelatis* & *Vasallis* Ducatus *Luneborgh*, ac *Proconsulibus*, *Consulibus* & civibus astantibus & auditibus dixit: *Aream istam cum suis terminis & dilatationibus tradimus vobis, nomine nostro & Ducatus*

Luneborgensis cum, omnibus juribus & libertatibus in literis nostris contentis, ut pro nobis & pro prædecessoribus nostris, pro hæredibus & successoribus nostris fideliter DEum oretus, in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Amen. Ubi prædictus Dominus Johannes Præpositus in Lune Duci fiducialiter dixit: Et quidem eadem jura, libertates & eorum privilegia eis non minuantur, sed conserventur & augmententur. Dux seriosè respondit: Ultrique. Quo dicto Fr. Wernerus Godebus Cantor ad nutum Præpositi Antiphonam: Alma redemptoris mater, devote & sollempniter incepit; quæ cum uberrimis lacrimis percantata, Duce interim marcam offerente, & Præposito per collectam: In nomine Domini, finem faciente. Cujus nomen gloriosissimum, & nomen gloriosissimæ matris ejus semper virginis Mariæ, Patronæ dicti monasterii, sit benedictum in secula seculorum Amen.

His itaque gestis, Dux recessit, & Præpositus cum Magistro coquinæ Ducis *caminatam* suam ascendit, quam deinceps pro *cappella* ad divina celebranda, quousque debitam conventus haberet ecclesiam, deputavit, ibique dictus Magister coquinæ cum campanis, in *lobio* *caminatæ* suspensis, ad vesperras jocunde pulsans, primus *campanarius* noster est effectus, quas Præpositus pro festo duplici reputans incepit & finivit. Quibus finitis, Præpositus cum conventu in eodem cœnaverunt loco; & postea ordinaverunt lectos suos in sellis novis lapideis, qui de mane ejusdem diei in sellis ligneis veteribus surrexerant. Præsumperunt nichilominus Dux & Consules, quod Præpositus & Conventus voluissent reverti in *veterem Hilgental*, quousque constructa fuisset in *novo Hilgental* Ecclesia & alia ædificia necessaria. Sed nutu DEI manserunt, ubi eos Dominus DEus deduxerat. Et cum non haberent *cimiterium*, & Prior esset hydropticus & senex, & per mensem fuisset in civitate, nec tunc mortem evadere posset: Præpositus adivit Episcopum *Statensem* (*) ordinis *Fratrum minorum*, *suffraganeum Domini Johannis Episcopi Verdensis & Dominum Bernhardum de Oldenborg*, officialem ejus, requirens eos, per Privilegia ordinis, ut consecrarent nobis *cimiterium*. Qui inquisiverunt, an in placitis translationis esset per Episcopum, ut ita fieret, admissum. Præpositus dixit, quod in Privilegiis ordinis nostri expressè, & in litera translationis inclusivè esset expressum. At Episcopus & Officialis feriam sextam proximam Præposito assignabant, ut præmissa probarent. Qui statuto die hora missæ ad novum monasterium *Hilgental* venientes, visis videndis, præsentibus Præposito in *Lune & Johanne Langen* dixerunt, ipsis esse satisfactum; ipsi proxima die vellent, ibidem *cimiterium* consecrare. Venerunt igitur sequenti die, & dedicaverunt *cimiterium* publicè multis præsentibus & gaudentibus; In quod *cimiterium* dicto die sequente, hora vespereorum, Priorem nomine *Johannem Poteraw* sepelierunt. Postquam Præpositus Prioratum injunxit religioso & pacifico viro *Johanni de Winsen*, vel dicto *de Caslo*.

Ista sunt nomina & cognomina Fratrum, qui præscriptum opus, de gratia DEI plene confidentes, subierunt, de diversis mundi partibus eadem DEI gratia convocati.

Otto Kultzing de Vlleffen *Præpositus*.
 Johannes Poteraw de Molne *Prior*.
 Wilhelmus Bueft de Stendal *Supprior*.
 Hinricus de Hamborch, *Senior Capituli*.
 Johannes de Winsen *Sacrista*.
 Fr. Wernerus de Godebus *Cantor & Circator*. (**)
 Godfridus de Staden *Succentor*.
 Radolfus de Hadeleria *Confessor in Ebb*.
 Johannes de Buxstehude, *Plebannus in Geldersen*.
 Nicolaus Coppernisse de Wismaria *Bursarius & Structuarus*.
 Nicolaus Birebeke *Vestiarius*.
 Hinricus Kopperfleger *Infirmarius & solatium sacrista*.
 Olricus Cruse, *Subvestiarius*.
 Hermannus Stendal, *Cellerarius*.
 Hermannus Soltow.
 Justacius de Eylstede *Novitius*.
 Johannes de Lubeck &
 Arnoldus de Nyem *absentes*.
 Hinricus de Casle }
 Ludolphus de Hansen } *Conversi*.

Literæ

(*) titularis Episcopus alicubi in partibus infidelium. Nomen est corruptum.

(**) Visitator vid. apud Du Lange.

Literæ Confirmationis

Monasterii Hilgental ab Episcopo Verdensi data 1314.

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis Amen. NICOLAVS DEI gratia, Verdensis Ecclesiæ Episcopus, universis Christi fidelibus præsentis paginæ inspectoribus sive auditoribus salutem in Domino sempiternam. Non solum religionis plantatæ devotionis sanctitas & disciplinalis observantia ne à rectitudinis tramite in devium prolatur pastoralis est officii sollicitudine confovenda: verum etiam loci religiosi noviter erigendi, ut divinæ laudis imperscrutabilis sublimitas tanto latius extollatur, quanto plures operarii ad dominicæ culturæ vineæ conducuntur. Noscat igitur fidelium ætas præsentium, & futura posteritas, quod *Lippoldus* miles, dictus *de Doren*, salutiferæ intentionis inardescens fervore, de consilio *Erme-gardis* uxoris suæ desideranter cupientis, & aliorum hæredum suorum, quædam bona in suis litteris explicata, jure proprietatis sibi attinentia, Ecclesiæ *Geldersen*, filia videlicet ecclesiæ *Solcenbusen* matricis, contulit pro dote perpetuo possidenda: desiderans, ut frater *Everhardus* Canonicus regularis de *monte Sanctæ Mariæ* ordinis *Præmonstratensis*, *Bremensis* Diocesis una cum socio suo, uno vel pluribus sui ordinis, sustentari cum ipso valentibus, regant dictam ecclesiam cum duabus villis, videlicet *Sudergeldersen* & *Wesergeldersen* ipsi annexis, à dicta matrice ecclesiæ *Solcenbusen* penitus exemptam; eo duntaxat excepto, quod ipsius parochiani synodum *Solcenbusen* visitabunt, sicut antea pleno jure collatum; cum sepultura defunctorum apud præfatam ecclesiam *Geldersen*, faciendo omnia ecclesiastica sacramenta memoratarum incolis villarum; divina celebraturi singulis diebus ibidem officia, & Domino secundum sui ordinis statuta, tam in refectione quam vestitu & aliis regularibus disciplinis servituri. Veruntamen frater *Everhardus* præfatus, vel alter eo cedente vel decedente inter eos discretior, qui rector sæpeditæ nuncupabitur ecclesiæ, obedientiam faciat manualemente *Archidiacono* in *Solcenbusen*, qui fuerit pro tempore; curam ab eo recepturus animarum: & omnia subibit onera undecunque imposita, sicut alii nostræ diocesis rectores: *Plebano* in *Solcenbusen* sæpedito, in recompensam partis parochiæ suæ sibi subteriectæ, *quinque marcas denariorum Luneburgensium*, videlicet in festo *Michaelis duo talenta*, & in festo *Paschæ totidem*, annis singulis soluturus. Si vero divinæ bonitatis aspirante suffragio sæpiusdicta ecclesiæ *Geldersen* ex prædicti militis vel amicorum suorum sollicitaque fratris *Everhardi* vel alterius ipsius rectoris circumspectione & fidelium elemosynarum largitione, post temporum curricula successum germinis, tam pinguibus abundantia proventibus, ceperit, quod ex eis pluribus personis & tot, quæ collegium facere, Prælatum sibi eligere poterunt, necessaria ministrantur competenter; ut ipsi circa divinæ officia & obsequia eo devotius, liberius & sedulius vacare valeant, quo majori commoditatis suavitate ac tranquillitatis & libertatis dulcedine senserint se munitos: gratiose concedimus, quod talis Prælatus una cum suo conventu nobis & successoribus nostris, quoad jurisdictionis & diocesanam leges nullatenus subjecti esse teneantur; Omnia & singula, quibus alii Abbates nostræ diocesis dinoscuntur astricti, minime servaturi, Rectore tamen parochiæ, quicumque foret, sub obedientia *Archidiaconi* in *Solcenbusen*, sicut præmittitur, perdurante. Dictæ etiam personæ exsequias Episcoporum & Canonicorum Verdensium decedentium peragent, facturi omnia suffragia animarum tam priuata, quam sollempnia, quæ eiusdem loci confratribus fuerint faciendæ. Cum ergo ex hujusmodi effecta ordinationis unam filiam primitivam ordinis *Præmonstratensis* nostræ Verdensis Ecclesiæ accrescere posse consideremus; singula & universa præmissa de ratihabitione, beneplacito & consensu Virorum honorabilium, Decani & Capituli nostræ ecclesiæ *Henrici dicti de Boyceneborch Archidiaconi* in *Solcenbusen*, *Helmeriki Plebani* ejusdem loci, ac præscriptam ordinationem cum omnibus suis conditionibus ratificamus, approbamus, & in his scriptis in Nomine Domini confirmamus, præsentem litteram super his confectam nostri Capituli, Archidiaconi & Plebani antefatorum munimine sigillorum procurantes in perhennem memoriam & evidens testimonium roborari. Actum & Datum *Verde* Anno Domini M. CCC. XIII. Quinto Idus Februarii.

II.

Litteræ Consensus Principum nostrorum.

DEI gratia *Otto Dux de Brunswic & de Luneborch*. Omnibus Christi fidelibus præsentibus & futuris in vero salutari salutem. Ut divinæ voluntati confirmemur, piis actibus misericordiam consequi cupientes, expedit, ut ad cultum sui nominis ampliandum devotis mentibus, sinceris affectibus aspiremus. Itaque recognoscimus, publice declarantes testimonio præsentium litterarum, quod nos accedente voluntate unanimi pariter & favore nostrorum filiorum ac hæredum omnium, quorum ad hoc requiritur consensus & voluntas, ordinationem factam à *Lyppoldo* dicto *de Doren*, milite de consensu venerabilis in Christo Patris Domini *Nicolai* Episcopi, ac totius Capituli Verdensis Ecclesiæ, super congregatione virorum religio-

forum in villa *Gheldersfen* facienda, ut ad laudem & honorem DEI & Beatæ genitricis ejus Vir-
ginis Mariæ, nec non Beati Laurentii Martyris, ejusdem Ecclesiæ patroni, divini nominis
cultus perpetuo habeatur; assignationem proventuum, quam ad hoc de consensu suorum
hæredum omnium assignavit, collaudantes ratam habemus, consensum plenarium adhiben-
tes, dummodo in dicta ordinatione nichil depereat juri nostro. In hujus evidentiam am-
pliores nostrum sigillum præsentibus literis duximus apponendum, Datis anno Domini
M. CCC, XIII, infra octavam Epiphaniæ.

III.

Litera Consensus Episcopi

Verdensis & Capituli de fundatione nostri monasterii.

IN Nomine Sanctæ & indiuiduæ Trinitatis Amen. *Nicolaus* Dei gratia Verdensis Ecclesiæ
Episcopus, universis Christi fidelibus præsentem literam visuris sive auditoris salutem in
Domino sempiternam. Ecclesiæ dispendio alienationis jacturam læsionum perpeti non cen-
sentur, cum, utilitate utrinque considerationis acumine decocta, sub forma permutationis
bonorum, ipsarum melioritas exaratur. Hinc est quod præsentibus cupimus fieri notum &
futuris, quod Fr. *Euerhardus*, Provisor canonicorum regularium in *Gheldersfen* ordinis Præmon-
stratensis, primo redemit curiam in *Sibelingheborstolde* à prædecessore nostro quondam Domino
Frederico, auunculo nostro pia recordationis, pro centum & quinquaginta marcis Hambur-
gensium denariorum, laicis sine fructuum in sortem computatione obligatam; & facta solu-
tione præfata pecuniæ curiam in *Gheldersfen* dicti loci, ad ipsum & suam congregationem pleno
jure pertinentem, nobis, Ecclesiæ nostræ & mensæ Episcopali assignavit perpetuo possidendam.
Nos vero sibi & suæ congregationi præfatam curiam in *Sibelincheborstolde*, cum omnibus juri-
bus & jurisdictionibus & proprietatibus suis, prout ad nos & Ecclesiam nostram pertinuit,
de beneplacito & consensu honorabilium virorum *Johannis* Præpositi dicti *Gans*, *Ludolfi* dicti *de*
Bernolwe, in Decanum electi, & Capituli dictæ Ecclesiæ nostræ, per modum concambii seu
permutationis duximus ad possidendum perpetuo dimittendam. Et licet hinc inde sit dicta-
rum æquivalentia reddituum curiarum; præscriptus tamen Fr. *Euerhardus* persolvit redem-
tionis pretium antedictum. In cujus permutationis certitudinalem memoriam, nostro, &
antedicti Capituli nostri sigillis, præsentem fecimus literam roborari. Datum & actum in
capitulo nostro ante dicto Anno Domini M. CCC. XV. VIII. Kal. Decembris.

IV.

Concessio Juris Paternitatis.

Johannes DEI patientia Præmonstratensis Abbas, & Abbatum ejusdem ordinis Ca-
pitulum Generale, Venerabili in Christo Fratri Præposito *Capebergensi* salutem & sinceram
in Domino caritatem. Significamus vobis, quod Frater *Henricus* Canonicus *Sancta vallis*, ut di-
cebat, de novo instaurata, ad nos venit, humiliter supplicando, quod nos jus paternitatis
ipsius novellæ plantationis vobis vellemus committere. Cujus petitioni benignè annuen-
tes, vobis - - Præposito *Capebergensi* nunc & in perpetuum paternitatem prædictam com-
mittimus, & tenore præsentium assignamus. Datum Præmonstrati Anno Domini M. CCC.
XXXVI. sedente nostro Capitulo generali.

V.

Confirmatio Papæ super nostrum Monasterium.

Clemens Episcopus Servus servorum DEI Dilectis filiis, - - Præposito & Conventui Monasterii
in *Hilgendale*, per Præpositum soliti gubernari Ordinis Præmonstratensis Verdensis Diœ-
cesis, Salutem & Apostolicam benedictionem. Cum à nobis petitur, quod justum est &
honestum, tam vigor æquitatis, quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem
officii nostri ad debitum perducatur effectum. Eapropter, dilecti in Christo filii, vestris
justis postulationibus grato concurrentes assensu; personas vestras & locum, in quo divino
estis obsequio mancipati, cum omnibus bonis, quæ impræsentiarum rationabiliter posside-
tis, aut in futurum justis modis, præstante Domino, poteritis adipisci, sub beati Petri & no-
stra Protectione suscipimus: specialiter autem decimas, terras, domos, vineas, hortos & alia
bona vestra, sicutea omnia justè & pacificè obtinetis, vobis & per vos Monasterio vestro,
autoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus; salva in
prædictis decimis moderamine Concilii generalis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc
paginam nostræ protectionis & confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si
quis autem hoc attemptare præsumperit, indignationem omnipotentis DEI & beatorum Pe-
tri & Pauli, Apostolorum ejus, se noverit incursum. Dat. Avinione XVIII. Kal. Januarii,
Pontificatus nostri Anno tertio.

VI.

Taxatio Decimationis.

NOs *Hinricus* Episcopus, *Arnoldus* Præpositus, *Hermannus de Hagbene Senior* & Vice-Decanus, totumque Capitulum Ecclesiæ Verdenfis, recognoscimus per præsentis, quod nos capitulariter congregati, receptis debitis informationibus de omnibus redditibus & bonis Præposituræ & Monasterii in *Hilgendale* Canonicorum regularium Præmonstratensis ordinis, nostræ Verdenfis Diocesis, simul sumptis, matura deliberatione præhabita, ipsum Præpositum & Monasterium ad solvendum *duodecim talenta denariorum Luneborgensium* pro decima taxavimus & taxamus in his scriptis; & mandavimus, hunc taxum nostro registro ordinario inseri & inscribi. Et in præmissorum evidentiam pleniorum sigilla nostra præsentibus duximus apponenda, sub anno Domini millesimo trecentesimo septuagesimo quarto, vicesima nona die mensis Maji.

VII.

Consecratio Templi.

NOs *Hinricus* DEI gratia Episcopus Verdenfis præsentibus protestamur, quod anno Domini M. CCC. LXXVI. in die sanctorum Martyrum Tiburtii & Valeriani, altare capellæ curiæ *Hilgendale* intra opidum *Luneborch* in honorem sanctæ Trinitatis, & beatæ Mariæ Virginis genitricis DEI, & sanctorum, *Andræ* Apostoli, *Laurentii* martyris, & *Augustini* Confessoris in forma Ecclesiæ rite consecravimus, Sancti Spiritus gratia nos juvante. Cujus dedicationis diem Dominica die, quâ cantatur *Misericordias Domini*, statuimus perpetuis temporibus peragendum. Et quia gratum Deo & pium totiens impendere obsequium opinamur, quotiens mentes fidelium spiritualibus allecivis muneribus ad devotionem & exercitium operum pietatis excitamus: ea propter nos de omnipotentis misericordia & beatorum Apostolorum ejus *Petri* & *Pauli*, & nostra autoritate confisi, omnibus vere pœnitentibus & contritis, qui in quibusvis Festis, sollempnes octavas habentibus, ac singulis diebus ipsarum octavarum; aliisve festis duplicibus & novem lectionum; dictum altare seu capellam devotionis causa, visitaverint, cuilibet de injunctis eis pœnitentiis *quadraginta dierum* & *unius Kærena*: aliis vero diebus ferialibus *quadraginta* duntaxat dierum indulgentias in Domino misericorditer relaxamus. In quorum evidentiam & testimonium sigillum nostrum præsentibus est appensum, Datis anno Domini & die, quibus supra.

VIII.

Venditio cujusdam curiæ.

IN Nomine Domini Amen. Fidelibus Christi universis præsentia visuris seu auditoris Nos *Christianus*, divina favente gratia Præpositus, *Domina Imme* Priorissa, totusque conventus ancillarum Christi in *Medynge*, salutem fructuosam & sempiternam in Domino caritatem. Cum in humanis actibus nichil fere incommutabile reperiatur & stabile super terram; ea, que rationabiliter aguntur in tempore, ne de memoria hominum evanescant cum tempore, litteralis non immerito consuevit vivacitas confirmare. Hinc est, quod tam præsentis, quam futuri temporis scire cupimus universos, quod nos benivola voluntate & unanimi totius nostri conventus consensu, Curiam nostram, quam habuimus de Domino *Ludolpho de Bernowe*, in civitate *Luneburg* sitam, juxta curiam nostræ Ecclesiæ antiquitus habitam & quiete possessam, vendidimus Domino *Gerlaco* Præposito, *Dominæ Elizabeth* Priorissæ, toti que conventui ancillarum Christi in *Lune*, liberam cum omni jure, quo nos ipsam absque qualibet contradictione possedimus, pro *ducentis* & *quingenta* marcis denariorum *Hamborgensium* perpetuis temporibus possidendam. Attamen spacium, quod de prædicta curia sepivimus, ad curiam optinebimus nostram. Ut igitur hæc rationabilis & voluntaria venditio à nostris nequeat calumpniari successoribus, præsens scriptum fecimus sigillorum nostrorum appensionibus roborari. Testes sunt venerabiles viri Dominus *Thomas* & Dominus *Ludolphus* Abbates Monasteriorum *Luneborch* & *Ullessen*, Dominus *Nicolaus* Præpositus in *Ebbekestorpe*; *Godfridus* de *Odem*, *Seghebandus* de *Wittorpe*, milites; & quam plures alii fide digni. Datum Anno Domini incarnationis M. CCC. XVIII. In die Sancti Blasii martyris atque Pontificis.

IX.

Venditio ædificiorum, domus & aræ.

Gerlacus DEI gratia Præpositus, *Lutchardis* Priorissa, totusque conventus sanctimonialium in *Lune*, omnibus præsentia visuris vel auditoris salutem in Domino sempiternam. Tenore præsentium recognoscimus, publice protestando, quod cum omnium nostrorum consensu unanimi vendidimus dilecto nobis in Christo Domino *Heimrico de Bucken*, Presbytero in *Luneborch*

borch & *Margareta* forori suæ curiam nostram, domum, aream & ædificia omnia in civitate Luneborch, in quibus ipsi, Presbyter & ejus soror, habitant jure perpetuo possidenda, & ad faciendum cum ipsis, quicquid ipsorum testamentariis post mortem eorum, vel eis, aut eorum alteri in vita sua videbitur expedire; ut ea libertate gaudeant & eo jure dictam curiam cum suis ædificiis possideant, quibus nos possedimus & potuissimus in futuris temporibus possidisse. In cujus rei testimonium figilla nostra presentibus sunt appensa. Testes hujus rei sunt Dominus *Jacobus de Lune* Presbyter & nostri monasterii frater; Dominus *Hermannus Hut* Proconsul in Luneborch & plures alii fide digni. Datum Lune Anno Domini M. CCC. XXX. in Cathedra Sancti Petri.

X.

Supradicta domus & area monasterio traditur.

Nos *Gerlacus* DEI gratia Præpositus, *Lutbardis* Priorissa totusque Conventus ancillarum Christi in *Lune* Ordinis Sancti Benedicti, Verdensis Diœcesis, tenore presentium protestamur, quod unanimi consensu, nostri monasterii utilitate considerata, vendidimus Domino *Heinrico de Bucken* Provisori novi monasterii in *Hilghendale* ordinis Præmonstratensis antequam religionem ingrederetur, curiam cum omnibus ædificiis, quam habuimus in Civitate Luneborch, cum omni libertate & utilitate, sicut nos ipsam à . . . Præposito & Conventu in *Medinghe* comparavimus; quæ quidem curia est versus occidentem, contigua curiæ dicti monasterii *Medinghe*; ad faciendum cum eadem, quicquid sibi videbitur expedire. Pretium hujus curiæ dictus Dominus *Hinricus* nobis in numerata pecunia totaliter persolvit: Quam quidem pecuniam convertimus in emptionem duorum chororum in salina Luneborch, quos emimus ab honorabilibus & religiosis viris Dominis . . . Abbate & Conventu in *Betzingherode* Cisterciensis Ordinis Hildesemensis Diœcesis; qui quidem duo chori apud nostrum Monasterium jure perpetuo remanebunt. Et quia idem Dominus *Heinricus de Bucken* coram nobis publice protestatus est, quod eandem curiam cum omni jure assignaverit dicto claustrum *Hilghendal*, salvo eo, quod fratres sui & sorores, quamdiu aliquis eorum vixerit, commodum habere poterunt habitandi in ipsa curia; presentes literas sibi tradidimus, sigillorum nostrorum munimine roboratas. Datum *Lune*, Anno Domini M. CCC. XXXVIII, in die beati Gregorii Papæ.

XI.

Translatio Ducum cum requisitione Episcopi in idipsum.

IN Nomine sanctæ & Individuæ Trinitatis feliciter, Amen. Nos *Wentzeslaus & Albertus*, DEI gratia Angariæ & Westphaliæ, Saxonie & Luneborg Duces, Palatini Saxonie & in Brenen Comites, Sacri Romani Imperii Principes Electores: Et *Bernardus* eadem gratia Dux in Brunswich & Luneborg; ad perpetuam rei memoriam. Cum ea, quæ religionis & pietatis cultum ampliant, salutem animarum concernunt, & ad status & personarum, sub institutum ampliant, salutem animarum concernunt, & ad status & personarum, sub institutione regulari virtutum Domino famulantium, conservationem, utilitatem cedunt & commodum; ex innata nobis clementia, quantum inspirante Deo possumus, semper & ubique promovere cupiamus: quapropter ad omnium & singulorum presentium & futurorum notitiam deducimus, quod, cum in Ducatu nostro Luneburgensi per celebres memorie *Ottonem & Wilhelnum*, quondam Duces in Brunswich & Luneborg, prædecessores nostros, olim Zelo devotionis accensos, Monasterium in *Hilghendale* ordinis Præmonstratensis instauratum, fundatum & dotatum non possit commode ex eo, quod in locis palustribus fetentibus & immundis, aquis fontaneis omnino carentibus, horribilitate bufonum, ranarum & vermium, qui opprobrium humanæ conditionis sunt, ultra modum habundantibus, & aliis multis evidentibus, de quibus tunc cogitatum non erat, nunc gravatis incommodis constructum sit, in eodem loco verisimiliter diu subsistere: cum locus ille palustris, aëre corrupto continuè circumclusus, personas ejusdem Monasterii robustissimas, sicut experientia docuit, multas infecerit, & ob hoc plures Novitii, præmissa ferre non valentes, habitum & monasterium reliquerint: Nos ne eorundem fundatorum aliquando fortassis pia frustretur intentio, neve prædicti novella plantatio monasterii, hujusmodi gravissimis diutius afficiatur incommodis, & ob hoc cultus divinus inibi minuatur; ipsis super præmissis ex corde condolemus; acceptabile Domino reputantes obsequium, si quod per eosdem fundatores pie & laudabiliter factum est, oportuna provisione salubriter emendatum, in melius reformemus. Volentes itaque prædictorum fundatorum, qui Monasterium & alia pia loca multis sunt profecuti favoribus, inharere vestigiis, & quodammodo censerit novi fundatores: matura deliberatione cum multis Prælati & aliis fidelibus nostris præhabita, & de pleno & expresso consensu prudentium virorum, Consulium & civium Luneburgensium fidelium nostrorum, pro eorundem fundatorum & progenitorum nostrorum, nec non animarum nostrorum salute hoc modo fieri decernimus & ordina-

ordinamus, ut Venerabilis & Religiosus Dominus *Otto* Præpositus, *Johannes* Prior & Conventus ejusdem Monasterii in *Hilghendale* prædictum ipsorum Monasterium de loco, in quo nunc constructum est, cum Conventu, fratribus, personis & familia, nec non habitatione & domicilio ad locum, fundum, grangiam sive possessionem inter opidum Luneborg, nunc ad jus & proprietatem præfati Monasterii pertinentem, perpetuo transferre; & de consecrato ipsorum Monasterio ac de omnibus ædificiis & loco, qui nunc in *Hilghendale* dicitur, & de ipsorum omnibus & singulis appendiciis, & pertinentiis, prout ipsis visum fuerit, destruendo & transferendo disponere, facere & ordinare; nec non aliud Monasterium novum in prædicto loco & fundo, intra opidum Luneborg sub eadem denominatione *Hilghental*, ædificare, construere, erigere & inhabitare; & officia divina & alia, juxta ordinis ipsorum instituta, inibi celebrare, facere & exercere; libere & licite valeant, possint & debeant: quantum nostri interest & ad nos pertinet, annuimus, ac etiam volumus & mandamus; immo nos in eundem locum & fundum prædictum Monasterium *Hilghental* cum omni dote & pertinentiis ipsius, quantum possumus, transferimus, & in prædicto loco & fundo Monasterium novum *Hilghental* fundamus, instituimus, erigimus, & instauramus; nec non præfatum novum Monasterium & fundum, cum omnibus suis terminis & ampliacionibus, pro instauracione novi Monasterii & aliorum ædificiorum ipsius constructione; pro eorundem fundatorum & progenitorum nostrorum ac animarum nostrarum salute; liberaliter deputamus & assignamus: ac ipsum locum & fundum cum omnibus & singulis in eorum constructis ædificiis seu in posterum construendis, ab universis & singulis talliis, collectis, exactionibus, servitutibus, angariis & perangariis, impositionibus & oneribus quibuscunque, penitus & omnino libertamus, absolvimus, & perpetuo immunes esse volumus ab eisdem. Volumus etiam, quod in priori loco, qui *Hilghental* dicitur, una *Capella pro celebratione Missarum*, per aliquem ipsius Monasterii fratrem Conventualem, ad nutum Præpositi dicti Monasterii temporalem & revocabilem, perpetuo debeat remanere. Insuper omnia & singula Jura, Res, Privilegia, Exemptiones, Libertates, Honores, Prærogativas, Largitiones, Eleemosynas, proprietates & possessiones, Bona mobilia & immobilia, Litteras, Commoditates, Concessiones, Gratias, Indulgentias & Pertinentias quaslibet alias; quibus per Progenitores & Prædecessores nostros, seu alios Principes Ecclesiasticos vel Seculares, aut quoscunque alios, sub quibuscunque modis, formis & tenoribus; Præpositus, Prior, Fratres, Conventus, Monasterium & Locus in *Hilghendale* prædicti sunt muniti, ex certa scientia confirmamus, innovamus, ac per præfatos de novo concedimus: Volentes, ut - - Præpositus, - - Fratres & Conventus, & ipsorum Monasterium novum præmissis omnibus & singulis pacifice & quiete gaudere debeant temporibus sempiternis. Promittentes nichilominus bona fide pro nobis nostrisque successoribus & hæredibus, præfato Domino *Otoni* Præposito, pro se suoque conventu & Monasterio stipulanti, prædictam translationem, nec non omnia alia & singula promissa ipsis, ab omni homine & universitate legitime defendere, auctorizare, & expedire; & ea grata & rata perpetuo tenere & habere, nec contrafacere aliqua causa vel ingenio, de jure vel de facto; nec prædictam translationem vel præmissorum aliquod ingratitude, vel alia quavis causa revocare: decernentes irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate contigerit aliquid attemptari. Caterum Reverendum in Christo Patrem & Dominum - - - Episcopum Verdensensem ejusque Capitulum, ac venerabiles viros Dominos - - - *Archi-Diaco-* num de *Modestorpe* in Ecclesia Verdensi; & Rectorem Ecclesie Sancti *Johannis* in Luneborg præsentibus requirimus, hortamur & rogamus, quatenus prædictis omnibus & singulis canonicè pertractandis & perficiendis; DEI, religionis, pietatis & nostri considerationis ob intuitum; ipsorum officium, consensum, auctoritatem & decretum impendant, adhibeant, præstent & interponant: in quorum omnium & singulorum evidens testimonium præfatas litteras sigillis nostris jussimus communiri. Datum *Luneborg* Anno Domini *Millesimo Trecentesimo Octuagesimo secundo*, vicesima quarta die Mensis *Julii*. Præsentibus Venerabilibus Dominis *Johanne* Præposito Monasterii in *Lune*, *Paulo de Monte* Cancellario nostro, nec non *Euerhardo de Marnholte*, *Segehardo* Vos Advocato nostro, *Thiderico Hogheberte* fidelibus nostris, & aliis pluribus fide dignis.

XII.

*Confirmatio Ordinationis inter Ecclesiam Parrochiale & Monasterium
HILGHENTAL.*

JOHANNES DEI & Apostolicæ sedis gratia Episcopus Verdensis. Ad omnium & singulorum præsentium & futurorum notitiam præsentibus deducimus, quod inter Monasterium *Hilghental* Ordinis *Præmonstratensis*, intra opidum *Luneborg* nostræ Diœcesis noviter fundatum, instauratum & erectum ex una, nec non Ecclesiam Parrochiale Sancti *Johannis Baptiste* in dicto opido *Luneborg* parte ex altera, per - - - Præpositum, Priorem & Conventum prædicti Monasterii, & Rectorem præfate Ecclesie Sancti *Johannis* est pro perpetuis futuris temporibus, super omnibus & singulis juribus Parrochialibus, infra scriptis

Ddd

modis

modis concordatum. Inprimis, quod omnes oblationes, quas in prædicto nouo monasterio, in quibuscunque pecuniis aut rebus, quocunque modo vel tempore, etiam in celebrationibus vel exsequiis fratrum vel familiae dicti Monasterii, offerri contigerit, cedere debent Reçtori Ecclesie Sancti Johannis antedictæ. De Legatis autem eidem Monasterio, per Parrochianos Ecclesie præfate in testamentis, vel alias in pecuniis vel certis redditibus *sexta pars, & de votivis denariis medietas* ad præfatum Rectorem pertinebunt. De Clenodiis autem vel Ornamentis datis vel legatis prædicto Monasterio, in quibuscunque rebus consistant, nichil cederet Reçtori vel Ecclesie supradictis. Nullum seculare beneficium in præfato nouo Monasterio, instaurari debet seu fundari. Nec Præpositus, Prior seu quisquam fratrum Conventualium dicti Monasterii, alicujus Parrochiani ejusdem Ecclesie confessionem audient, neque Sacramenta alia ministrabunt, exceptis fratribus Conventualibus Monasterii supradicti. Nullum de Parrochianis præfate Ecclesie sepelient: fratrum autem suorum Conventualium & familiae domesticæ & cotidianæ sepulturam retinebunt. Prædictum Novum Monasterium mane aperiri non debet ante pulsum Primarum, nec Primæ pulsabuntur, nisi post pulsum Matutinarum in Ecclesia Parrochiali: & statim finitis vesperis Monasterium claudi debet. Summa quoque Missa in prædicto Monasterio cotidie finiri debet ante eleuationem Dominici sacramenti summæ missæ in dicta Ecclesia Parrochiali; nec in prædicto Monasterio aliquo tempore sermones fieri facient ad populum vel ad Clerum; nec ædificabunt propius Ecclesie parrochiali quam sicut nunc est concordatum. Præmissa omnia & singula debent Præpositus, Prior, Fratres & Conuentus prædicti Monasterii in Hilgental facere & observare sine fraude, nec in aliquo contravenire, seu in præjudicium prædictæ parrochialis Ecclesie aliquid attemptare. Reçtor quoque Ecclesie Sancti Johannis prædictæ, qui fuerit pro tempore, de præmissis tenere debet se contentum, nec ultra præmissa aliquid petere seu exigere à Præposito, Priore, Fratribus seu Conuentu Monasterii supradicti. Et quia omnia & singula de plenis, expressis & certis nostris, voluntate, beneplacito, scientia & consensu concordata sunt & processerunt; ne aliquando præmissa seu eorum aliquid revocentur in dubium, seu ab aliquo retractentur: de pleno & expresso consensu venerabilium virorum Dominorum *Hermannii de Hagbene Decani, Nobilis Radolphi de Depholte Archidiaconi de Modestorpe & Capituli Ecclesie nostræ Verdenfis, ac Henrici de Leze, Reçtoris Ecclesie Sancti Johannis prædictæ; nec non Venerabilium & Religiosorum Dominorum Ottonis Præpositi, Johannis Prioris & Conuentus præfati novi Monasterii Hilgental, ea omnia & singula rata & grata habentes, auctorizamus & approbamus, & in nomine Domini confirmamus, decernentes irritum & inane, si secus super his à quoquam contigerit aliquid attemptari. Et nos Hermannus Decanus, Radolphus Archidiaconus, totumque Capitulum Ecclesie Verdenfis; Nec non Henricus de Leze Reçtor Ecclesie Sancti Johannis in Luneborg, Otto Præpositus, Johannes Prior, & Conuentus, prædicti, presentibus recognoscimus, quod omnibus & singulis præmissis consensum nostram adhibuimus & presentibus adhibemus. Datum & actum Verdis anno Domini Millesimo Trecentesimo Octuagesimo secundo, ultima die Mensis Julii omnium nostrum sub sigillis; presentibus honorabilibus viris & discretis Dominis, Nicolao dicto Ruther summo vicario, Sanderio dicto Roderizen, Ottone dicto Harst, Johanne Gesmanni, Hermannio Remsede, perpetuis Vicariis in Ecclesia Verdenfi; nec non Christiano Kemerer & aliis quam pluribus fide dignis testibus, ad præmissa vocatis specialiter & rogatis.*

XIII.

Translatio Episcopi Verdenfis ad instantiam Principum.

IN Nomine Sanctæ & individuae Trinitatis feliciter, Amen. JOHANNES DEI & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Verdenfis ad perpetuam rei memoriam. Cum à nobis quod justum est petitur, & quod honestum postulatur: tam ordo juris quam vigor dicat æquitatis, ut facilem ad id assensum præbeamus. Sane Magnifici & Illustres *Wentzeslaus & Albertus* Angariæ & Westualie, Saxonie & Luneborg Duces, Palatini Saxonie & in Brene Comites, Sacri Romani Imperii Principes Electores, & *Bernardus* in Brunswick & Luneborg Dux nobis insinuare curarunt, quod cum Monasterium in Hilghendale Ordinis Præmonstratensis nostre diœcesis per Celebris memoriae Ottonem & Wilhelmum, quondam Duces in Brunswick & Luneborg, prædecessores ipsorum, olim zelo deuotionis accensos instauratum, fundatum & dotatum &c. vide diploma Ducum num. XI.

Super his & aliis dictorum Principum literas vidimus, continentie plenioris. Verum, quia de præmissis omnibus & singulis nobis plena fides facta est, & ea reperimus veritate fulciri; ne diuinus cultus, quem augeri cupimus, in eodem Monasterio ex causis prædictis minuat, & ut dicti, Præpositus, - - - Prior & Conuentus ab hujusmodi & aliis grauissimis oppressionibus & incommodis releuentur; Nos Principum, Præpositi, Prioris, Fratrum, Personarum & Conuentus prædictorum, ac etiam multorum Prælatorum diœcesis nostre instantibus supplicationibus inclinati, de pleno & expresso consensu venerabilium virorum Dominorum *Hermannii Decani, Nobilis Radolphi de Depholte Archidiaconi de Modestorpe & Capituli nostri; nec non Henrici de Leze Reçtoris Ecclesie Sancti Johannis in Luneborg;* ad honorem omni-

omnipotentis DEI & intemeratæ genitricis ejus Virginis Mariæ, ac totius militiæ cœlestis, omnia & singula præmissa, per supradictos Principes providè, piè & laudabiliter & gratiosè facta, concessa & ordinata, rata & grata habentes, approbamus, indulgemus & concedimus; ac præfatum Monasterium in Hilghendale, . . . Præpositum, . . . Priorem, Fratres, Personas & Conventum prædictos sub eadem denominatione Hilghental, cum omnibus ipsorum juribus, Rebus, Privilegiis, Exemptionibus, libertatibus, honoribus, prærogativis, largitionibus, elemosynis, donationibus, proprietatibus, possessionibus, Bonis mobilibus & immobilibus, literis, commoditatibus, concessionibus, gratiis, indulgentiis, & quibuslibet aliis pertinetiis ipsorum, ad supradictum locum & fundum intra oppidum Luneborg, auctoritate Diœcesana, in Nomine Domini transferimus & translationem ipsam præsentibus facimus, celebramus & auctorizamus; & in eodem loco & fundo Monasterium novum *Hilghental* instauramus, fundamus, instituimus & erigimus; & in eo prædictum Collegium & Conuentum constituimus, firmamus; & in eum ponimus & inducimus; volentes in eodem loco diuina & alia juxta ipsius Conuentus ordinis instituta perpetuo celebrari, fieri & exerceri; ac etiam omnia & singula præmissa eadem auctoritate in Nomine Domini confirmamus, decernentes irritum & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate contigerit attemptari. Et nos *Hermannus* Decanus, *Radolphus* Archidiaconus, totumque Capitulum Ecclesiæ Verdensis, nec non *Henricus de Leze* Rector Ecclesiæ Sancti Johannis in Luneborg prædicti, præsentibus recognoscimus, quod omnibus & singulis præmissis consensum nostrum adhibuimus, & præsentibus adhibemus. Datum & actum *Verdis*, anno Domini Millesimo Trecentesimo Octuagesimo secundo, Prima die mensis Augusti, omnium nostrum sub sigillis; præsentibus honorabilibus viris & discretis Dominis *Nicolao* dicto *Ruther* summo Vicario, *Sandro* dicto *Rodertzen*, *Ottone* dicto *Harß*, *Johanne Gesmanni*, *Hermanno Remsiede* perpetuis Vicariis in Ecclesia Verdensi, nec non *Christiano Kemerer* & aliis quam pluribus fide dignis testibus, ad præmissa vocatis specialiter & rogatis.

XIV.

*Consensus Rectoris EGHARDI ad supradictam Ordinationem
inter parrochiam & Monasterium.*

IN Nomine Domini Amen. Noverint universi, quod anno à natiuitate Christi Millesimo trecentesimo octuagesimo tertio, Indictione sexta, die sexta decima mensis Octobris, hora vespere- rum vel quasi; Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris & Domini nostri Domini *Urbani* divina providentia *Papa sexti* anno sexto, in mei, Notarii publici, & testium infra scriptorū præsentia, constitutus venerabilis & discretus Vir Dominus *Egghardus Oldendorp* Præpositus Sancti Johannis Mindensis, & Rector Parrochialis Ecclesiæ Sancti Johannis Baptistæ in Luneborg, Verdensis Diœcesis, sponte & deliberatus ratificauit, laudavit, & approbavit quasdam Ordinationem & Conventionem, quarum tenor inferius describitur in præsentī litera, aliās factas inter dictam parrochiam Ecclesiam Sancti Johannis parte ex una, ac inter Monasterium *Hilghental* Ordinis Præmonstratensis, intra opidum Luneborg Verdensis Diœcesis noviter fundatum, instauratum & erectum ex altera; super oblationibus, legatis, votivis & aliis, prout in ipsa ordinatione & conventionem continetur. Idemque Dominus *Eghardus* ad omnia & singula, in infra scripta ordinatione & conventionem contenta, suum plenum consensum adhibuit & ipsa rata & grata habuit & habet. Tenor vero ordinationum & conventionum, de quibus supra fit mentio, de verbo ad verbum sequitur & est talis. JOHANNES DEI & Apostolicæ sedis gratia Episc. &c. vide supra no. 12.

De quibus omnibus & singulis requisiverunt me, Notarium infrascriptum, quod eis vnum vel plura publicum seu publica conficerem instrumenta, Datum & actum *Luneborg*, in curia habitationis dicti Domini *Eghardi*, sub appensione sigilli ejusdem anno, indictione, mense, die, hora, pontificatu, quibus supra; præsentibus honorabilibus viris Dominis *Johanne de Elten*, Decano Ecclesiæ sancti Andreæ Verdensis, *Hermanno Schomakers* Canonico Ecclesiæ Bardewicensis, Verdensis Diœcesis, & *Richelmo Oldendorp* Consule in Ghotingen Maguntinensis Diœcesis, testibus ad præmissa vocatis pariter & rogatis.

Et ego *Conradus Top*, Clericus Mindensis Diœcesis, publicus Imperiali auctoritate Notarius, prædictis ratificationi, approbationi, consensu præstationi, sigilli appensione, omnibusque aliis & singulis præmissis, una cum prenotatis testibus præsens interfui, eaque sic fieri vidi & audiui, per alium fidelem scribi feci, & in hanc publicam formam, signo & nomine meis solitis signatam, ad mandatum dicti Domini *Egghardi* redegi, requisitus etiam legitime & rogatus in testimonium veritatis omnium & singulorum præmissorum,

XV.

Consensus Ciuitatis Fauoris & Defensionis.

VVE Radmanne der Stad Luneborg bekennen openbar in dessem Breue, dat wi vme Meringhe willen Ghodes Denstes vnde Höpene des ewighen Lones mit unsen gnedighen Heren Hern *Wenzlaw* vnde Hern *Albrechte* Hertoghen to Sassen vnde to Luneborg, vnde Junchern *Berde* Herteghe to Brunswich vnde Luneborg vulbordet vnde orleuet hebbet, vnde vulbordet vnde orleuet in dessem Breue den Erwerdighen Gheftliken Heren *Otten* Proueste, Hern *Johanne* Priore vnde der gantzen Samelinge des Closters *Hilghendale* vnde eren Nakomelingen to ewighen tyden, dat Se in de Stad *Luneborg* vppe de Rume, Stede vnde Bleke, de eer deßer tyd in der Stad ere weren, vnde de wi en nu dar to orlouet hebbet, een nye Closter vnd ander Buwe vnde Gemake, der en darto behuff vnde nod is, buwen moghen vnde dar ynne wonen, unde Ghodesdenst dar ynne don vnde andere Stucke holden, vnde öven, na ansettinge eres Ordens, als en dat to boret. Ok vrye we desuluen Rume, Stede vnde Bleke mit alle dem, dat darvp gebuwet is vnde wert, van aller Stad vnde Borgher Plicht, welkerleye de sy to evvighen tyden. Darvore hebbet de vorfcreuen Heren unfer Stad gegeuen *twedusend Marck Penninge*, de se uns rede tellet hebbet, vnde dar vve vnfer Stad Schulde en deel mede *beret* hebbet. Ok moghet de vorfcreuen Heren alle ere ieghenvvardige vnde tokomende Buwe vppe densuluen Rumen, Steden vnde Blecken bouene vnde nedden, bynnen unde butene; vnde sunderghen den langen Weg ouer de Strate, vnde dat Gemak by der Muren buvven, vurbeteren vnde vvedder maken, vvanne vnde vvo dicke en dat *euent*, edder des behuff, edder nod is. Ok moghet desuluen Heren vnde ere Denre, to der Heren egene Behuff, bynnen der Stad Luneborg vnde vppe der Straten kopen, vves se bedoruen, lik vnfen Borghern, vnde dat en schal me en vorder nicht vurfetten in dem Kope vven den Borgheren. We vvillet ok desuluen Heren, ere Clostere, Gud vnd Lude truvveliken vorbidden vnde vordegedingen, vvor vve mit voghe dat vormoghen; vnde vve vvillet allen Vnvvillen, tvvifchen vns vnde den Vnfen, vnde en, vruntliken bevwaren, vvor vve konnen. Alle desse vorfcreuenen Stucke vnde en jewelk besunderen loue vve vorbenomden Radmanne der Stad Luneborg, vor vns vnde evvichliken vor vnse Nakomelinge, dem vorfcreuenen Heren *Otten* Praueste, Heren *Johanne* Priore vnde dem Conuente des Closters *Hilghendale*, vnde to evvighen tiden eren Nakomelingen, vn vurbroken to holdende in guden truvven; Vnde des to Bekantnisse hebbe vve vnse Inghezeghel vvitliken vnde mit Willen gehenget an dessen Breff. Gheuen to *Luneborg* na Ghodesbord druttetynhundert jar, in dem vervndachtentigheften jare, in vnfer Vrouvven auende, alle se entfangen vvard.

XVI.

VVE *Bernd* vnd *Hinrick* van Godes Gnaden, Hertogen to Brunsvich und to Luneborg, bekennen openbare in dessem Breue, dat vve anghzeen hebbet manigerleye Anval, Befvvaringe vnd Schaden, de alle Clostere, Stichte vnd Godeshus, in vnfer Herschop Luneborg belegghen, manighe Jar gheleden hebbet: also dat dersulven Clostere en grot deel des de lenghe nene vvys herden konden, vvanne vve ze dar nicht gnedigen ane betrachten vvolden. Des begere vve Gode to eren, vnfer Zele to Zalicheit, vnd vme Vorftliker Doghed vnd vvoldad vvillen, desulueren Clostere, Stichte vnde Godeshus in sodanen Stucken, dar ze by bestan mogen, evvigen to besorgende, alle vve mit Godes Hulpe hogest moghen, also dat ze befvvaringhe, ghevvalt vnd vnrechtes van allesvve me erhauen zin; Vppe dat de, de in den Clostere, Stichten vnd Godeshusen to Godesdenste schicket syn, Godedenste vorder denen mogen, vnd vor vnse Elderen vnd Vorvaren, vor vns vnd vnse Herschop Luneborg, God to evvighen tiden deste truvveliker bidden. Vme deßer vorfcreuenen Zake vvillen, de vns Godliken vnd redelken darto bevveget, zo stedeghe vve, vnd gheuet, vnd vulbordet, vnd vornyet mit rechter Wetenheit vnd mit rade vnd vulbort vnfes truvven Rades, vnfer man vnd vnfer Stede, myt Krafft dessem Breues, mit gudem Willen vnd vvolveradenem mode, Allen Prelaten, Prefteren, Papheit, Clostere, Stichten vnd Godeshusen in vnfer Herschop Luneborg vvonhaffig vnd belegghen, vnd ok allen anderen Stichten, Papheiden vnd Godeshusen, *de in dersuluen vnfer Herschop, Erue, Gud ader Renthe* hebbet, vnd erer jevvelken besunderen, vvat achte eder orden ze zin, alle ere Privilegia vnd breue na alle ereme Lude, van vveme ze de gheftlik eder vverlik hebbet; vnd al ere rechticheit, Vryheit, Gnade vnd Wonheit, vnd al ere Gud, vvo dat benomet zy, vnd van vveme vnd vvor ze dat in Steden, Sloten, Wicbelden, Dorpen vnd aller vvegene anders in vnfer vorfcreuenen Herschop Luneborg hebbet, eder in tokomenden tiden hebbende vverdet: Also dat vve vnse Eruen vnd Nakomelinge zamend, vnd enen ievvelken besunderen dar truvvelken vnd rovvelken by laten, vnd ghenliken in aller Vryheit by beholden, vnd iegen allesvve me vordegedingen, vnd

vnd beschermen vvillet vnd schullet, vvor vve dat vormoget; mit beholtnisse on alle eres ghestliken vnd vveltliken Rechtes, vnd aller Privilegia und Breue, de ze van al vnser Vorfaren vnd van vns, vnd mit Lande vnd Luden vnser vorschreuenen Herschop, zamend eder besunderen, hebbet. Vnd vve en schullet noch en vvillet des nemende staden edder ghunnen, de ze in Jenegem der vorschreuenen Stucke besvware, hindere eder vorvnrchte; eder an eren Personen, an eren Luden eder erer yeneges Gude ze anverdige, eder yenevvs Vorfulf vvoldege, eder hindere, eder bevvere. Schüde en eder den eren dar en bouen an sik fulven eder an erem Gude van yemende yenich Schade eder Vnvo-ghe, dar vve en nenes Wandels vmme hulpen, zo mochten ze ghestlikes rechtes ane vnser vvre bruken to erer vnd eres Gudes Beschermynge, vnd to Erhalinghe eres Schaden. Vve schullet vnd vvillet alle Ebbete, Proueste vnd andere Prelaten vnd Papheid in vnser vorschreuenen Herschop, de ere Capittle vnd Convente endrachtigen keset, eder van eren Lenheren belenet zint eder vverdet, truvvelken vorderen vnd vorbidden; vnd der vorbenomden nenen an eren vryenkoren Lenvaren eder Lenen nenevvs hinderen eder hinderen-laten, vvor vve dat mit Beschede moget helpen vveren na ereme Rade. Ok hebbet vns vnse Ammechlude vnd man vor vware angherichtet vmme Herberge vnd Denst der Clostere vnser Herschop, de vns Denstes pleget. Wo me dat geholden hebbe by zeliger Dechnisse vnser Vorvaren Hertogen Otten vnd Hertogen Wilhelmes tiden, dar vville vve vns vnd vnse Ammechlude, Vogede vnd Denere; vnd vnse Man schullet sik ock ghensliken, also darna richten, dat noch vve en vvillet, noch ze en schullet, nene vromede Vorsten, noch Degedingsdage, eder Zammelinghe vppe de Closterhoue eder in ere Dorpe eder Gud leggen. Hedde vve auer Krich van vnser Herschop vvegene eder vmme vnser Vnderzaten Beschermynge vwillen; Legede vve denne Zammelinghe in ere Dorpe eder Gud, dat scholde an de *Zur*, de vve mit den vnser in vnser Herschop Luneborch hebbet, nichtroren. Doch vville vve dat maken, also ve gnedigest mogen, alsme dat by der vorschreuenen Vorsten tiden ok heft geholden. Vnd vmme vnse eghene Herberge vppe den Closterhouen vville vve, vnd vnse Ammechlude, Vogede vnd Denre schullet, den Clostere zo vogelik maken, dat se des vvol gevesen, vnd bestendich bliuen moghen. Desuluen Clostere en schullet ok vns, noch vnser Ammechluden eder Vogeden, mit eren Wagenen to nenerleye *Powstwerke* eder *Burvwerke*, noch to Kokene Holtes vore, denen, also ze by der vorbenomden Vorsten tiden ok ny geplogen hebbet: Vnd sunderliken in der Erne schulle vve ere Wagene, Houedenstes vordregen, also dat ok by derfuluen Vorsten tiden heft vrontlich ghevesen. Wanne vve auer hervardet, to velde licget, eder vnse Slotte buvvet, vnd vvanne vnse Legher ouer thut, dar pleget vns desuluen Clostere Denstes to mit eren Wagenen, vnd to anders nenen Stucken. Vnd de vnderzaten vnd Lude der Clostere, de vns denet vnd Herberge pleget, also vorschreuen is, zind vns noch vnser Ammechluden eder Vogeden nenerleye Bede, Denstes noch Herberge plichtich. Wanne ok en Vorste vnse vorschreuen Herschop Luneborch erst entfanget to vorstande, so gift deme Vorsten en jewelk closter *ene Ghestlike Prouende*. Desghelik ghiift me ok den Vorsten *ene Prouende*, wann se echte Vroven nemet, vnd nicht mer, vnd vmme anders nener Zake vwillen; vor vvene ze, na der Clostere Ghezette, Wonheit vnd Rechte, denne biddet. Vnd vve vve der Prouende vvelk geuet, de vville vve benomen in vnse Breue. Vorkofte de de Prouende yemende, den Koper schullet de Clostere nenevvs entfangen, vnd de Vorkoper schal der Prouende vorlustich vvesen; Vnd de Bede vmme de Prouende vor enen anderen schal vveder to vns komen. De anderen Clostere, de by der vorschreuen Vorsten tiden alsodanes Denstes in vnser Herschop, eder sodaner Prouende to geuende nicht, geplogen hebbet, de schullen vve vnd vvillet by derfuluen Vryheit rovveliken vnd evvigen laten. Alle desse vorschreuen Stucke, vnd en iovvelk besunderen, loue vve *Bernd* vnd *Hinrick* Hertogen to Brunsvvich vnd to Luneborch vorbenomt, vor vns vnse Erven vnd Nacomelinge, in guten trovven, den vorbenomden allen vnd orer iovvelken besunderen, ghensliken vnd vnuorbroken to holdende sunder allerleye List. Vnd vve hebbet to groteren louen alle desse vorschreuen Stucke, vnd vnse truvve losse, mit vvolberadenem mode, vvidiken vnd mit gudem Willen, mit vpperichteden Vingeren vnd mit staneden Eden, in Jegenvvardicheit vnser vorschrevven Prelaten, Manne vnd Radlude gesvvoeren to den Hilgen, vnd vve louet vnd svveret on also fulues in desse Breue. Geuen to *Tzelle* na godes bort dritteynhundert, darna in deme tvve vnd negentigesten Jare, in sunte Matthi auende des hilgen Apostels vnd Euvangelisten, vnder vnser Ingezegelen, de vve to merer Bekantnisse vnd Orkunde aller vorschreuen Stucke, vnd enes iovvelken besunderen, to desse Breue hebbet gehenget heten, vvidiken vnd mit gudem Willen.

XVII.

Notum sit Universis, quorum interest vel interesse poterit in futurum, quod nos, *Frater Daniel*, DEI & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Verdensis pro nobis, & *Johannes* Præ-

Præpositus *Sanctæ vallis Verdenſis* diœceſis Ordinis Præmonſtratenſis pro nobis & conventu noſtro, ſuper cauſis & litibus, quas inuicem habuimus, & alter alterum in iudicium coram auditore in Curia Romana euocauit, & lis jam pendeat: inſuper ſuper ædificio vel ſtructura eccleſiaſtica loci *Sanctæ Vallis*, quam nos Epifcopus Verdenſis prædictus prætendebamus ſtructam & fundatam in ſolo pertinente ad menſam noſtram Epifcopalem: nihilominus ſuper Capella in *Gelderſen* extructa de Eccleſia Parrochiali in *Soltzenbuſen*, quam ſimiliter prætendebamus in præiudicium noſtrum eſſe factam, quæ nunc incorporata eſt Præposito & Conuentui *ſanctæ vallis*: & ſuper tranſitu, quem dicti fratres de ipſo loco capellæ in *Gelderſen* ad locum nunc vocatum *Sanctæ vallis* minus canonicè & ſine debita auctoritate feciſſe debuerant: ex certa ſcientia & libero conſenſu noſtri, Epifcopi Verdenſis, *Johannis* Præpoſiti, nec non Conuentus ſui *Sanctæ Vallis* ſumus amicabiliter concordati, cedentes omni iuramento motæ vel mouendæ ſuper præmiſſis in futurum; & ipſi fratres prædictum locum *Sanctæ vallis* cum terminis ſuis, prout jam ipſe locus comprehendit, pacificè & ab omni impugnatione noſtra vel impetitione poſſidebunt. Cæterum nos Epifcopus ſupradictus volentes conſentimus, quod Vicarius noſter in Pontificalibus ipſe, qui nunc eſt, vel qui poſtea futurus erit, ſi in propria perſona noſtra facere nequeamus, ad petitionem & procuracionem prædictorum Fratrum, ipſum locum ſive Eccleſiam inibi fundatam, cum terminis jam comprehenſis, & altaria erecta ibidem, conſecrare poſſit; adhibita in hoc officio ſollempnitate debita & conſueta. Huic concordie præſentes fuerunt religioſus vir *Hinricus*, Prior ſancti Montis, ejuſdem Ordinis Præmonſtratenſis, *Bremenſis* Diœceſis, Magiſter *Conradus de Lemego* & *Hinricus de Staphorſt* perpetui Vicarii in Eccleſia Verdenſi, teſtes ad præmiſſa vocati & rogati. In cuius rei teſtimonium nos Frater *Daniel* Epifcopus Verdenſis, & *Johannes* Præpoſitus *Sanctæ Vallis* prædicti, ſigilla noſtra duximus præſentibus appendenda. Datum & actum *Rodenborg* Anno Domini M. CCC. LV. in die Beati Galli Confefſoris.

XII.

Hinricus DEI & Apoſtolice Sedis gratia Epifcopus Eccleſiæ Verdenſis, uniuerſis & ſingulis, præſentes noſtras literas viſuris ſeu audituris notum facimus, publice proteſtantes, quod, cum à quibusdam Prædeceſſoribus noſtris multis fuerit dubitatum temporibus, qualiter & quomodo Curia *Sibilighorſtel*, ſic in noſtræ Eccleſiæ regiſtris nominata, nunc autem variato nomine *Hilgental* nuncupata, olim ad nos ſpectans, ab Eccleſia noſtra ſit abſtracta: cuius etiam & nos dubitatione permoti, prouidum & religioſum Virum Dominum *Hinricum* Præpoſitum Monafterii *Hilgental*, quod præſatam curiam jam multis retroactis temporibus in ſua poſſeſſione habuit, ad noſtram præſentiam accerſiri fecimus, poſtulantes ab eo ſtudioſè, quatenus nos de huiusmodi curiæ poſſeſſione ſua, per dictum Monafterium ſuum jam diu habita & tenta, ac etiam de ejuſdem poſſeſſionis juſto titulo certificare feſtinaret: Alias oporteret nos ſuper hac re ſecum judicialiter experiri. Qui Dominus Præpoſitus tandem cum quibusdam Senioribus Conuentus ſui ad noſtram præſentiam accedens, quoddam ſcrinium ſecum portari fecit, in quo diuerſæ ordinationum & tractatum inter noſtram Eccleſiam & ſuum Monafterium habitorum literæ ac etiam Privilegia habebantur; de quibus produxit unam literam ſanam & integram, felicitis memoriæ quondam *Nicolai* prædeceſſoris noſtri, Verdenſis Epifcopi, & Capituli ſui ſigillis integris & illæſis ſigillatam: qua viſa, lecta & intellecta comperimus manifeſtè, præſatam curiam, olim *Sibilighorſtel* nominatam, ad prædictum monafterium *Hilgental* juſto & canonico permutationis titulo legitime perueniſſe. Nam ut ex prædictis literis accepimus, Religioſus Vir Dominus *Euerhardus*, Prouiſor Canonorum regularium, tunc in *Gelderſen* adhuc degentium & locum aliquem diuino ſeruitio aptum ſollicitè quærentium, præſatam curiam *Sibilighorſtel* à quibusdam Laicis, quibus ſine fructuum in ſortem computatione dudum fuerat obligata, pro centum & quinquaginta *Marcis Hamburgenuſum denariorum* redemit, & ſuis propriis pecuniis ad poſſeſſionem Eccleſiæ noſtræ reduxit. Quam quidem curiam Prædeceſſor noſter prædictus, propter hoc redemptionis liberale meritum, cum præſato Domino *Euerhardo* pro alia curia in *Gelderſen*, ad dictum Dominum *Euerhardum* pleno jure pertinente, & in reditibus curiæ noſtræ æquivalente, de conſenſu Præpoſiti, Decani & Capituli ſui ſolempniter permutavit, dictamque curiam in *Gelderſen* in poſſeſſionem & jus Eccleſiæ noſtræ Verdenſis accepit, perpetuo jure poſſidendam; præſatamque curiam *Sibilighorſtel* prædicto Domino *Euerhardo* & congregationi ſuæ, ad conſtruendum in ea novum monafterium, & ad ſeruendum DEO ibidem ſecundum inſtituta ordinis ſui Præmonſtratenſis ac Privilegia, juſto permutationis titulo, cum omni jure ſuo tradidit, perpetuis temporibus poſſidendam. Nos igitur de huiusmodi permutationis modo & forma plenius informati & totaliter certificati, poſtpoſitis omnibus dubitationibus, huiusmodi permutationem, & omnia & ſingula ſuperius contenta, grata & rata habentes, præſentibus approbamus, & in Nomine Domini confirmamus; decernentes, quod præſati, Dominus Præpoſitus & Canonici ſui in *Hilgental* dictam curiam *Sibilighorſtel* pacificè poſſidere debebunt temporibus ſempiternis. In quorum omnium teſtimonium ſigillum noſtrum præſentibus eſt appenſum. Datum *Lunenburg* anno Domini M. CCCC. XXIII. feria V. proxima poſt Dominicam *Lazaræ Jeruſalem*.

XIX.

XIX.

*Littere JOHANNIS VVEIGERGANCK Præpositi
Lunensis.*

Venerabilis Domine & Amice. Video in Concordantia duo, quæ tangunt fratres Conventuales. Primum est in Clausula: Nec Præpositus Prior &c. ubi de confessionibus audiendis & sacris ministrandis ordinatum est, quod hujusmodi sacra liceat Præposito & Priori &c. impendere Fratribus Conventualibus ipsius monasterii: & intelligo per Fratres Conventuales illos, qui integrant corpus Conventus, etiam si nondum sint professi. Tales enim novitii habitu, sunt Fratres Conventuales. Secundum est de Sepultura, & ille articulus est magis extensus, videlicet non solum ad Fratres Conventuales, sed etiam ad familiam domesticam & cottidianam. Ex quo videtur, quod, quia retinent illorum sepulturam, possunt eorum audire confessiones & eis sacramenta ministrare, quamdiu remanent de eorum familia domestica & cottidiana. Idem per omnia credo de illis, qui prædicto Monasterio offerunt DEO se & sua, & habitum deferunt, & vitam monasticam in dicto monasterio servant: quia oportet, quod talis oblatio sit perpetua & sub obedientia Præpositi. Nec refert, an tales sint mares vel feminae, licet isti non sint de corpore Conventus vel Capituli, sed sint Conversi & Conversæ. Ista autem non habent locum in illis, quibus simpliciter communicata est per litteras sigillatas spiritualis fraternitas. Tales enim non sunt religiosi nec translati nec conversi; & ideo tales etiam non gaudent Privilegio Canonis, si quis suadente; nec gaudent Privilegiis ordinis seu ex illo capite, *quacunq; Ecclesiastica libertate.*

Jo. Præpositus de Lune, dictator horum.

Ita sentio, salvo judicio verius sentientis.

XXXII.

CHRONICON
COENOBII S. MICHAELIS
IN HILDESHEIM, ORDINIS
S. BENEDICTI,

Ex MSto.

BERNWARDVS Comes in Sommenschenburg, XIII. Episcopus Hildesimensis Anno 1001. fundavit Monasterium & Ecclesiam S. Michaelis sub protectione S. Michaelis Archangeli & omnium Angelorum & ordine S. Benedicti. Et sua autoritate banno roboravit S. Bernwardus Anno 1022. in dedicatione Ecclesie, verbis: *Si quis inde vi aut sponte aliquid diriperet, perpetua damnationi subiceret, & ut incumbente super eum omni maledictione, careret benedictione essetque exterminatus à terra & celo; partem haberet cum Juda in inferno, & cum iis, qui in hereditate possident sanctuarium DEI.* Obiit S. Bernwardus Anno 1023. 20. Nov. & sepultus est in crypta Monasterii, canonizatus anno 1193. sub Cælestino Papa 3. Custodiuntur adhuc in hoc monasterio casula S. Bernwardi, miraculosa crux, biblia, duo candelabra, reliquie & columna ærea, quam ipse fecit & posuit retro altare S. Crucis, portatile, baculus, columna marmorea, & hydria Canæ Galilææ sub magna corona in medio Ecclesie nostræ.

I. GODERAMMVS Marchionis filius, doctor sacre pagine, & præpositus S. Panthaleonis Colonie, quem S. Bernwardus cum aliquibus fratribus 996. vocavit ex Monasterio S. Panthaleonis pro primo Abbate. Celebraverunt fratres tunc divina in Sacello S. Crucis apud nostrum refectorium, antequam fabrica majoris Ecclesie esset perfecta. Postea, sacellum illud pro parochiali Ecclesia reparatum & dedicatum est in honorem S. Lamberti. Obiit 1030, sepultus ante altare S. Stephani. Anno 1062. sepulchrum aperuerunt, & inventa sunt ossa integra cum manibus in pectore complicatis. Vir sanctus fuit. Modo sepulchrum ejus intra muros Ecclesie situm est.

II. ADELBERTVS fuit Præpositus montis S. Joannis Baptistæ Herocampie prope Hirsfeld, à S. Godehardo in Abbatem consecratus, sub quo monasterium in vigilia Pentecostes fulmine combustum est anno 1034. Intestimonium adhuc visio in Ecclesia retro altare S. Cru-

CIS